

Bibliothèque numérique

medic@

**Chambon, Joseph - candidat / Gayant,
Louis - président. - An ab Hepatis
intemperie, Ascites ?**

1696.

***Paris : Apud Franciscum
Muguet, Regis & Facultatis
Medicinae Typographum
Cote : ms 2324 n°78***



QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis
vigesima-prima Februarii.*

M. LUDOVICO GAYANT, Doctore,
Medico Regis ordinario, Præside.

An ab Hepatis intemperie, Ascites ?

I.

PARTIUM corporis principum legitima *diætesis*, humo-
rumque nutritioni inservientium amica & socialis unio
sanitatem constituunt, infesta, morbum. Ex his sive cum
sanguine mixtis, sive ab eo secretis, quantitate aut qua-
litate peccantibus, multi exsurgunt. Bilis flava, quæ est tenuior
& sulphurea, atra quæ crassior est & terrestris sanguinis portio
nonnullos procreant, Phrenitidem, Icterus utrumque, &c.
serum quod crudum est frigidum & humidum, multo plures;
inter quos alii curationem ut plurimum admittunt, alii sæpe
medicamentorum vim eludunt, Medici fallunt industriam &
exitium tandem aliquando minantur, ut Coma Vigil, Lethar-
gus, Carus, Catalepsis Apoplexia, Paralysis, Epilepsia, Ca-
tharrus Ferinus, Suffocans, Pleuritis, Peripneumonia, Arthri-
tis, Scrofulæ, Scorbutus, Phtisis, & Hydrops cujus causa in-
quirenda est in nimia feri copia, in ductuum per quos deduci-
tur aut partium per quas excernitur, vitio.

II.

QUÆVIS aquarum collectio Hydrops est, in Cerebro, in
Thorace, Utero & scroto; suum tamen sibi fecit apud

Medicos nomen tumor ex aquâ tum cutis, tum Abdominis. Ille intercus ἀνασάρχαι vocatur cum â sero aqueo & falso, λευκοφλεγματία quoties à pituitâ lentâ & concretâ gelatinam imitante, trahit originem, ita ut universa corporis planities inæqualiter attollatur, & impressum digiti maneat vestigium. Hic à seroso humore inter intestina & Peritonæum stagnante ἀσцитης; sin flatus superet τυμπανίτης. Omnis Hydrops dirus & funestus, præsertim Ascites, qui raro subito & confestim erumpit, quandoque nullo prægresso morbo aqua stillat sensim & assiduo; sæpe ab alio morbo progignitur. Qui ex morbo, sive recens fuerit, gravis, sive inveteratus, gravior. Quò morbus fuerit acrior, ille gravissimus habendus est. Quem Causus, Asthma, Quartana, immodica evacuatio aut suppressio, icterus, schyrrus produxerit, lethalis. Periculum tussis denuntiat. In infantibus facilè, in senibus sanatur ægrè licet diutius protrahatur. Qui sanatus recurrit desperatus est. Occurritur Asciti per initia cum natura valet sunt quæ illæsa viscera, humor solitarius est nec falsus & muriaticus, tam tutò punctione aquâ affatim extractâ quàm diureticis & Hydragogis.

Hipp. in
coac. Præ-
not.
Hipp. lib.
v i. de
morb. po-
pul.

I I I.

HEPAR est eximium viscus in dextro Hypochondrio sub Diaphragmate situm, amplæ magnitudinis, in superiori parte convexum & læve, in inferiori concavum, quâ ventriculi dextro lateri incumbit, substantiam obtinet densam sed mollem, rubicundam sanguini recenter affuso similem. Obvelatur membrana simplici satis adhærente. Qui structuram jecoris attentè perspiciet, observabit totam ipsius molem constare ex acinis glandulosis qui racemorum congeriem exhibent & propriâ circumambiente membranâ teguntur, ac continuatis per transversum membranosis nexibus firmantur, ita ut intermedia spatia & rimulæ inter lobulorum latera emergant; nec non diversis vasorum propaginibus. Venarum portæ & cavæ & Pori Biliarii ramulos per omnes etiam minimos lobulos æquali numero decurrere, & venæ Portæ furculos Arteriarum vices gerere, tamque esse Portæ cum ductu Biliario societatem, ut eorum ramuli arctè eodem contineantur involucro. Nullas esse Anastomoses, sed glandulosos acinos medium tenere inter afferentia & referentia vasa, denique Hepar nihil aliud esse quàm Glandu-

3

lam conglomeratam, quæ sicut Parotides, Pancreas, Glandulæ Lachrimales & Thymus suum obtinet ductum excretorium fecerendæ Bili à naturâ dicatum nempe Porum Biliarium & vesiculam felleam, eodem planè modo quo spiritus animales in cerebro, lac in Mammis, serum in Renibus, semen in Testibus per diversam cribrorum, configurationem segregantur quod Hippocrates satis apertè indicat his verbis sanguinis fons est cor; Pituita, caput; aquæ Lien; Bilis locus in jecore.

Lib. 4^o de
mortis.

I V.

VETERES fere omnes tam Græci quàm Arabes in eo consentiunt Ascitem generari διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ αἵματος ἐν τῷ ἥπατι, *cujus* primarium organum jecur esse arbitrabantur, quod per se vel per consensum impensè refrigeratum aut torrefactum, opus suum perficere amplius non valet & aquam puram pro sanguine reponit: sed cum per experimenta luce meridiana clariora, feliciori huic sæculo reservata ab imperio sanguificationis dejectum sit, ipsique publicæ celebratæ sint exequiæ, alia est hujus exitialis morbi investiganda causa; quæ quidem multiplex. Modo sed infrequenter à potu frigido in febribus ardentibus aut intermittentibus uberius ingurgitato, præsertim durante frigore, ob sitim inextinctam, tunc inprimis pernicioso, absque viscerum culpâ, ortum ducit. Interdum præcedere solet feri vitiosi redundantia, quod ratione falsedinis & visciditatis, unâ cum copiâ semper auctâ, in vasis Lymphaticis aut Lacteis coagulatur, obstructionem parit, donec nimia distentione disruptis vasis effundatur contentus liquor in Abdominis cavitatem: vel distendit nimium & ad ὑδρόπιδιον deducit, adeo ut in ipsorum viciniâ sensim colligatur. Quod innuere videtur medicorum princeps cum asserit ad Hydropem desinunt quibus circa tenue intestinum dolores & urina non facile prodit. Nonnunquàm ab humore in pedibus ac cruribus primùm disperso, paulatim assurgente & tandem in ventris inferioris capacitatem penetrante; tuncque aut à colliquatione carniū, aut ab arteriis Ascites.

Coac. Præ-
not.

V.

UT Arteriæ serum fundant, sanguis liquatus esse debet; solvitur autem ab alimentis vel medicamentis aromaticis, spirituosiss, sale volatili turgentibus, nec non à crebris fermentis.

Lib. 2^o. de
Tatar.
cap. vi.
Traët. ig-
notus Hy-
drop. c. 16.
& 20.

rationibus: neque enim serum intimè unitur sanguini, imo facile ab eo secedit, ut patet ex illius vel unicâ missione & sudoribus. Demum insensibilis transpirationis defectus & præcipuè Renum obstructio Ascitem pariunt; forsan etiam infarctus pororum exteriorum vesicæ qui aquæ non aëri sunt pervii, ut experientia testatur. Nulla igitur adhibenda fides Paracelso & Helmontio. Ille Tartarum Aluminosum per resolutionem propriæ naturæ pro unicâ Hydropis causâ agnoscit: hic Renum obstructionem à sanguine concreto, cui ideo per radicem Bryoniæ & Antimonium Diaphoreticum succurrendum esse affirmat: viri in perscrutandis salium, mineralium metallorumque arcanis virtutibus sagacissimi, de partium corporis humani structurâ, usu & concordia, quæ sunt secundæ & adversæ valetudinis fundamenta, & de variis morborum causis discernendis, parum solliciti; quorum tamen cognitio maximè Medicum facit & rationalem ab empirico distinguit.

Non ergo ab Hepatis intemperie Ascites.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes Daval.

M. Joannes Boudin.

M. Claudius Guerin, rei
herbaria Professor.

M. Claudius Quiquebœuf.

M. Guido Erasmus Emmeret.

M. Carolus le Long.

M. Bertinus-Simon Dieuxivoye.

M. Michael de Hodencq.

M. Ludovicus Morin.

Proponebat Parisiis JOSEPHUS CHAMBON, Grignianus,
Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.